

non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, qua data est nobis in Christo Jesu. Consonat Trident. Sess. & cap. cit. causam meritoriam nostræ justificationis dicens Jesum Christum.

Pro coronide Q. An Humanitas Christi sit adoranda?

R. Affirmativè : & quidem non adoratione respectivâ, quâ adorandæ sunt res sacræ ob contactum, aut repræsentationem vel alium modum spacialem, ad Deum respectum habentes, sed absolutâ : quia est substantialiter unita Divinitati in eodem supposito, cum ergò adoratio referatur in ipsam humanitatem subsistentem, eadem adoratione, quæ debetur Personæ divinæ, adoranda est humanitas.

DISPUTATIO XIV.

De Essentia Sacramentorum in genere.

Post consideratum Mysterium Dominicæ Incarnationis pergimus cum S. Thoma ad explicanda Sacramenta, per quæ velut instrumenta Virtus Incarnationis & Passionis Christi nobis applicatur, & in præsentî vita ad gratiam, in altera verò meliori ad gloriam æternam perducimur. Significabat autem hæc vox *Sacramentum* apud gentiles, ut videre est in Orat. Cicer. pro Milone pecuniam in loco sacro depositam, perdendam, si deponens causâ caderet. In Jure significat Juramentum, unde violatio Juramenti à juristis dicitur violatio Sacramenti; in Scriptura quandoque significat rem arganam : ut Sap. 6. v. 24. *Non abscondam à vobis Sacramenta Dei.* in eadem significatione sumitur Tob.

Tob. 12. v. 7. Daniel. 2. v. 30. ad Ephes. 1. v. 9. & 3. v. 3. Aliquando significat signum rei arcanæ ut ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesiâ*: hoc est: Matrimonium est excellens signum arcanæ & sacræ conjunctionis Christi cum Ecclesia. Denique Sacramentum à SS. PP. sumitur pro signo externo rei sacræ suscipientem sanctificantis, in qua significatione: licet forsan in Scriptura non inveniatur, illud tamen nomen à SS. Patribus meritò est assumptum ad rem illam significandam, quæ in sacris litteris sat patenter est expressa, sicut etiam SS. PP. nomina consubstantialitatis & Incarnationis assumpserunt, quæ non inveniuntur in S. Scripturâ.

Q U Æ S T I O I.

Quid & quotuplex sit Sacramentum?

DICO 1. *Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad nostram Sanctificationem. S. Th. hic Q. 60. a, 3. O.*

Explicatur Conclusio per communem Sacramenti definitionem; Signum sensibile practicum rei sacræ, ad sanctificandos homines permanentè à Deo institutum.

Dicitur 1. Signum non naturale, quod ex natura sua significet gratiam, sed ad placitum: cum implicet signum naturale sensibile gratiæ: Virtus enim instrumentaliter causativa gratiæ sanctificantis, quæ est divinæ naturæ participatio, non potest, nisi ex voluntate Dei, qui solus, juxtà alibi dicta, est causa principalis Gratiae, Sacramentis competere. Et hinc non est signum formale, quod non se, sed aliquid à se distinctum tantum facit in cognitionem venire; quale signum secundum

dum Philosophiam est Species impressa & expressa, sed instrumentale, quod præter speciem sui aliud à se repræsentat, Sacramentum autem præter speciem sui, quam sensibus ingerit, aliud significat v. g. Baptismus præter abluionem externam corporis, quam videmus, simul significat aliquid occultum: videlicet interiorem animæ emundationem, an autem formale signi, vel forma significationis consistat in aliqua denominatione extrinsecâ proveniente à voluntate instituentis non revocatâ, an in relatione rationis intrinsecâ, quæ sit Ens rationis? parum hîc facit ad rem: cum Sacramentum non sit formale signi, vel significatio, sed materiale, vel res significans.

Dicitur 2. Sensibile: Quia Sacramenta sunt signa humana, adeoque humano usui accommodata, per quæ homines in unum cœtum & religionem coadunantur; sicut enim Corpus Ecclesiæ est visibile, sic fideles non per alios ritus sanctificativos, quam visibiles & sensibiles, in tali corpore coadunantur, atque inter se in publico modo Deum colendi communicant, unde licet Deus absolute in re aliquâ purè spirituali potuerit Sacramentum, saltem pro Angelis, instituere; suppositâ tamen præsentî ordinatione divinâ, connaturale est, ut Sacramentum consistat in sensibili re.

Dicitur 3. Practicum: quod differt à speculativo, quod signum speculativum sit institutum præcisè, ad manifestationem rei significatæ, ita ut finis ipsius sit nuda manifestatio rei: signum autem practicum est institutum ad repræsentationem rei in actu exercito acquirendæ. Sacramentum igitur est signum practicum significans rem sacram, in quantum per illam suscipiens Sacramentum sanctificatur.

Dicitur

Dicitur 4^{to} Rei sacræ: hoc est: quæ dicit ordinem vel habitudinem ad sanctitatem, tripliciter verò potest esse habitudo ad sanctitatem. 1^o formali-ter: in quantum res habet formam sanctitatis, à quâ denominatur formaliter sancta: sic v. g. anima iusti est sancta formaliter. 2^o Significativè: sic aliqua imago pia est sancta significativè: quia repræsentat rem sanctam. 3. Effectivè: quia est causa sanctitatis: sic passio Christi nos sanctificans est sancta effectivè; Sacramentum igitur est signum rei sacræ formaliter sanctificantis.

Dicitur 5^{to} Ad homines sanctificando: videlicet de præsentem in suo usu, aliàs enim non esset signum practicum: quia significaret sanctificationem, non de præsentem, sed de futuro. Triplex autem iterum est sanctificatio. 1^o Moralitatis: quæ est consecratio hominis ad cultum divinum juxta præscriptum rectæ rationis, & sic sanctificabant Sacramenta Legis naturæ. 2^o Sanctificatio Legalis, quæ est consecratio hominis ad cultum divinum juxta præscriptum Legis veteris. 3^o Sanctificatio formalis: quâ homo formaliter est iustus & sanctus, & hæc sanctificatio est propria Sacramentis novæ Legis.

Dicitur 6^{to} Permanenter: Licet enim absolutè potuerint dari Sacramenta non permanentia, sed pro una tantum vice practicè significantia sanctificationem; attamen juxta præsentem ordinationem & Dei institutionem est de ratione Sacramenti, ut sit permanens & stabili Lege introductum: quia de facto Sacramenta sunt instituta, ut per utrumque Sacramentorum fideles inter se communicent, unamque communem Religionem profiteantur. Sicut igitur ipsa Religio est publica, stabilis & permanens, ita pariter ritus & signa Reli-

gionis debent esse stabilia & permanentia.

Dicitur 7mò à Deo institutum : quia omne signum est naturale vel ad placitum sive ex institutione, sed Sacramentum juxtà jam dicta, non potest esse naturale signum gratiæ : siquidem nulla res sensibilis habet proportionem & connexionem cum occultâ sanctitate, quæ à Sacramento significatur; ergo est signum ad placitum non ex institutione alicujus creaturæ, quia illius est tantum instituire signa sanctitatis, qui potest eam conferre; atqui solus Deus hoc potest; ergo solus Deus Sacramenta signa sanctitatis instituit.

Ex his colligitur : quænam à Sacramenti ratione excludantur, ut 1mò Sacrificium quæ tale non est Sacramentum, quia quæ tale non ordinatur ad sanctificationem utentium, sed ad supremi domini protestationem. 2dò. Crux Christi imagines sacræ non sunt Sacramenta, quia modo speculativo non pratico significant sanctitatem in abstracto. 3tò. Cæremoniæ Legis Mosaicæ & matrimonium in statu legis naturæ & Testamenti Veteris non erant Sacramenta; quia cæremoniæ quidem significabant Christi mortem & passionem tanquam causam gratiæ & reconciliationis nostræ, adeoque etiam significabant gratiam dandam, non tamen de præsentis sed de futuro. Matrimonium in lege naturæ & Testamenti veteris significabat conjunctionem Christicum Ecclesia, adeoque etiam gratiam dandam per Christum, non tamen gratiam in actu exercito dandam in ipso contractu Matrimonii. 4tò Verba sacræ Scripturæ non sunt Sacramenta : quia primum ipsorum significatum est conceptus Dei loquentis, nostram autem sanctificationem non nisi indirectè & remotè significant, quatenus illa est objectum Dei loquentis, 5tò.

Verba

Verba Christi ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata*, Luc. 7. v. 48. deficiunt à ratione Sacramenti: quia non sunt permanentè instituta, ut in ipsorum usu significaretur gratia conferenda. Etò. Cæremoniæ Ecclesiæ, quæ solent appellari Sacramentalia: ut Asperio Aquæ benedictæ, Benedictio Episcopi, Collatio primæ Tonsuræ &c. non sunt Sacramenta; quia tamen aliquam sanctitatem dispositivam & externam practicè significant & conferant suscipienti; non tamen practicè significant sanctitatem internam.

DICO 2. *Propriè dicitur Sacramentum, ... quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines ... quedam ad Vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi ... in quantum per ea nos sanctificamur ... Et talia dicuntur propriè Veteris Legis Sacramenta*, S. Th. hic Q. 60. a. 2. O. & ad 2. sive univocè dividitur Sacramentum in Sacramenta novæ Legis & veteris Legis.

Probatur: Ratio Sacramenti univocè convenit Sacramentis veteris & novæ Legis; ergo. Probatur Ant. Sacramenta veteris Legis sunt Sacramenta legis naturæ, & hæc erant signa practica sanctitatis moralis, quam causabant & signa speculativa sanctitatis perfectæ, sive gratiæ sanctificantis: erant quidem signa practica sanctitatis moralis: quia de ratione essentiali Sacramenti, est quod signum practicum sanctitatis legi suæ & statui convenientis, sanctitas autem moralis congruebat legi naturæ, & dictamini rectæ rationis. Erant etiam signa speculativa gratiæ sanctificantis: nam immediata vel mediata significatio gratiæ sanctificantis est omni Sacramento essentialis; ità ut Sacramenta Legis naturæ non ex eo præcisè fuerint Sacramenta,

quia erant signa practica sanctitatis moralis, sed quia etiam signa speculativa gratiæ sanctificantis, non quidem conferendæ ex meritis Christi vi Sacramenti ex opere operato, sed conferendæ in usu Sacramenti ex opere operantis. Deinde sunt Sacramenta Legis Mosaicæ, & hæc erant signa practica sanctitatis legalis, & speculativa sanctitatis formalis vel gratiæ sanctificantis. Sacramenta novæ Legis sunt signa practica gratiæ sanctificantis ex opere operato in usu Sacramenti conferendæ.

Ex quibus collige : Qualiter Sacramenta novæ Legis cum Sacramentis Legis antiquæ & naturæ convenient & disconvenient nam

Primò : Conveniunt in signo sensibili : quia tam Sacramenta novi quàm veteris Testamenti sunt signa sensibilia ; Sacramenta in lege naturæ erant protestatio externa Fidei in Messiam venturum pro peccati originalis remedio, Consecratio Sacerdotum ad offerendum Deo Sacrificium &c. Sacramenta Legis Mosaicæ erant Circumcisio, Agnus Paschalis, Consecratio Sacerdotum, lustratio ab immunditiâ legali &c. quæ omnia erant signa sensibilia ; at in hoc differunt : quòd omnia Sacramenta novæ Legis sint signa sensibilia determinata, Sacramentum autem abolitivum peccati originalis in lege naturæ pro omnibus, & in lege Mosaicâ pro fœmellis, non erat aliqua cæremonia exterior determinata, sed quodcunque signum protestativum Messiæ venturi.

Secundò : Sacramenta tam novi quàm veteris Testamenti in hoc conveniunt ; quòd sint signa practica alicujus sanctitatis ; in hoc verò differunt quòd Sacramenta legis naturæ sint signa practica sanctitatis moralis, Sacramenta Legis Mosaicæ signa practica sanctitatis legalis, subordinatæ ta-

men

men perfectiori sanctitati etiam in illo statu Legis antiquæ, quamvis non ex vi illius statûs acquirendæ; Sacramenta Legis novæ sunt signa practica gratiæ sanctificantis & sanctitatis perfectæ isti statui propriæ.

Tertiò: Omnia Sacramenta significant rem sacram, vel ipsam formam sanctitatis sive gratiam sanctificantem, at Sacramenta Legis novæ practicè, Legis antiquæ quasi Ipeculativè; quia si ad signum practicum sufficiat, quod significet gratiam vel ut à se, vel ut ab alio causandam, sicut plures volunt, ad habitum practicum sufficere, quod pro fine habeat opus sive à se faciendum sive tantummodo dirigendum, Sacramenta Legis antiquæ erunt signa practica etiam gratiæ sanctificantis, non quidem effectiva vel physicè vel moraliter, sed tantum directiva.

Quartò Omnia Sacramenta in illorum usu & susceptione sanctificant, at Sacramenta novæ Legis sanctificant ex opere operato; quia ad positionem Sacramenti novæ Legis confertur gratia suscipienti (dummodo non sit indispositus) non tantum correspondens dispositioni vel merito suscipientis, sed etiam ipsi operi. At Sacramenta Legis antiquæ sanctificabant ex opere operantis: tametsi enim figurarent passionem Christi, & significarent gratiam per merita Christi patientis in suo usu conferendam, non tamen exhibebant Deo illam passionem, ut in se aliquo modo contentam aut continuatam; sed ut terminantem interiorem fidem & actum religiosum: erant enim Sacramenta Legis antiquæ protestatio fidei in Messiam venturum. Excipitur in Lege naturæ Sacramentum, quod erat in remedium pro peccato originali parvulorum, & in Lege Mosaicæ Sacramentum cir-

cumcisionis : parvuli enim per circumcisionem tanquam protestativam fidei in remedium peccati originalis justificabantur ; quia nec per alienum per proprium actum disponi poterant ad justificationem ; hinc Deus ; qui vult omnes salvos fieri ; debuit illis providere de tali medio ; hoc autem non contigit in circumcisione adultorum : cum Apostolus expressè justificationem Abraham non tribuat circumcisioni sed fidei ad Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo. & reputatum est illi ad justitiam.* Idem est de aliis Sacramentis Legis antiquæ ; quæ juxta Apost. Gal. 4. v. 9. erant infirma ; & egena Elementa quæ juxta Concil. Florent. non causabant gratiam (intellige ex opere operato) sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant.

Quintò denique Sacramenta novæ Legis sunt signa demonstrativa ; commemorativa & prognostica. Demonstrativa quidem gratiæ sanctificantis ; quam ex opere operato in suo usu conferunt ; sunt signa commemorativa passionis Christi præteritæ ; sunt denique prognostica signa futuræ gloriæ : quia sunt quasi pignora æternæ vitæ ; At Sacramenta Legis antiquæ erant signa prognostica tum respectu passionis Christi ; tum respectu gratiæ in nova Legge per Christum conferendæ ; erant autem impropriè solum signa demonstrativa gratiæ de præsenti non ex opere operato ; sed ex opere operantis à solo Deo conferendæ. His omnibus ponderatis patet Sacramenta tam in Legge nova ; quàm veteri ; quæ sunt solum umbra & figura novæ Legis ; sicut etiam Religio populi electi in veteri Testamento in ratione Religionis item sicut sacrificia veteris & novæ Legis in ratione sacrificii conveniunt univocè ; ità etiam Sacramenta utriusque Legis convenire univocè

univocè in ratione Sacramenti quia talium Religio-
num sunt symbola & protestationes. Licet, sicut
perfectior est Lex nova Lege veteri, ita multò per-
fectiora sint Sacramenta novæ Legis ex ratione dif-
ferentiali.

Q U Æ S T I O II.

*Quæ Sacramentorum materia an determinata?
quæ mutatio materia irritet?*

NOta : Sacramentum dupliciter considerari
potest primò per modum alicujus compositi
Metaphysici, & tunc materiale est totum illud,
quod significat, & est substratum significationis,
forma autem totalis est significatio v. g. in baptis-
mo spectato tanquam aliquo composito metaphy-
sico, materiale est ablutio aquæ sub certa verbo-
rum forma, significatio autem abluitionis internæ
est formale, sicut in composito metaphysico ho-
minis, materiale est res vel compositum ex anima
& corpore, forma totalis est humanitas. In arte-
facto statuæ forma totalis est figura artificiosa, ma-
teria vel subjectum est compositum physicum ex
materia & forma ligni.

Secundo : Sacramentum considerari potest per
modum compositi physici, & tunc in illa re sensi-
bili, quæ divinitus instituta est ad significanda
gratiam, aliquid consideratur per modum formæ,
aliquid per modum materiæ : sicut enim in re ha-
bente humanitatem aliquid est materia : videlicet
corpus & aliquid est forma : videlicet anima. In
re habente figuram statuæ physicè spectatâ est
materia prima & forma lapidis vel ligni, ita in ab-
lutione v. g. à Deo institutâ, ad significandam ab-
lutionem internam, physicè spectatâ per modum

materiæ se habet ablutio externa ; per modum formæ se habent Verba , sub quorum pronuntiatione fit ablutio. *Dixi.* Per modum materiæ & formæ: quia inter partes Sacramenti non datur physica partium inter se conjunctio, per modum informationis vel inhæſionis, sed tantummodo moralis, inquantum secundum divinam institutionem vel prudentem existimationem una pars respectu alterius censetur exercere officium materiæ vel formæ: sicut enim in composito physico pars, quæ determinatur ad constituendum tale compositum, est materia, pars quæ determinat ad tale compositum, est forma; ita ex partibus Sacramenti, illa pars quæ determinatur ad significandum talem gratiam, est materia Sacramenti, illa pars quæ determinat ad talem significationem, est forma Sacramenti.

Hoc notato certum est, non esse de ratione absoluta Sacramenti, ut sic, quod debeat constare rebus & verbis vel materiâ & formâ: cum Sacramenta Legis veteris de facto tantum constiterint rebus, ita enim Genes. 17. Circumcisio, Exod. 12. Ritus Agni paschalis. Exod. 23. Ordinatio Sacerdotum in solis actionibus reperiuntur. Sed de novæ Legis Sacramentis

DICO 1. *Ad Sacramenta requiruntur res sensibiles.* S. Th. hic Q. 60. a. 4. O. Sive materia Sacramenti sunt res vel formaliter vel virtualiter tales.

Ita definitum est in Cone Florentino, quod ita declarat: Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Prima Pars probatur 1. Sacramenta omnia Legis

gis no
const
2
reper
perit
Chriſ
Eucha
nis &
In Or
extre
verba
& ha
in co
poter
bent
in Ba
gerat
natur
fican
in S
teria
S
crat
pro
in S
ratio
ven
tiva
fig
tati
fica
am
sol
(
à f

gis novæ sunt signa sensibilia gratiæ; ergo debent constare rebus sensibilibus.

2. In omnibus Sacramentis res sensibiles reperiuntur: ut patet inductione in Baptismo reperitur ablutio aquæ, in Confirmatione unctio Chrismatis, & impositio manûs. In Sacramento Eucharistiæ panis & vinum, vel potius species panis & vini. In Pœnitentia contritio & confessio. In Ordine traditio certorum instrumentorum. In extrema Unctione unctio infirmi. In Matrimonio verba exprimentia traditionem mutuam corporum. & hæc res sensibiles sunt materia; *Probatur*: illud in composito habet rationem materiæ, quod est in potentia seu determinabile; sed res sensibiles habent rationem determinabilis. v. g. ablutio aquæ in Baptismo est indifferens, ut significet vel refrigerationem vel aliquam mundationem, determinatur autem per verba: *Ego te baptizo*: ad significandum mundationem internam à peccatis; ergo in Sacramentis novæ Legis res sensibiles sunt materia.

Secunda Pars probatur: Materiæ duorum Sacramentorum videlicet pœnitentiæ & matrimonii proximæ sunt res tantum virtualiter prout videlicet in Sacramento pœnitentiæ dolorosa confessio habet rationem determinabilis per verba sacerdotis absolventis ad significandam & causandam gratiam sanativam, & in Sacramento Matrimonii traditio per signa externa manifestata determinatur per acceptionem exterioribus signis manifestatam ad significandam gratiam Sacramento matrimonii propriam; ergo in aliquibus Sacramentis materia est res solum virtualiter.

Obj. 1. Materia compositi distinguitur realiter à forma compositi, sed in Sacramento matrimonii

res non distinguitur realiter à verbis : idem enim consensus, quatenus est traditio est res, quatenus autem est acceptatio, est verbum; ergo in matrimonio res & verba non habent rationem materiæ & formæ.

R. Distinguendo Maj. Materia compositi physici distinguitur realiter à forma Con. compositi moralis N. quia ad compositum morale sufficit distinctio virtualis materiæ & formæ, idem autem virtualis consensus mariti v. g. est virtualiter duplex propter diversitatem objecti, quod respicit; nam in ordine ad corpus proprium, est traditio; in ordine verò ad corpus uxoris, est acceptatio, & ut est traditio sic præsupponitur sibi ipsi, quatenus est acceptatio, sub ratione traditionis autem quantumvis verbis formaliter exprimatur, est tamen virtualiter res sensibilis, sub ratione acceptationis, licet non verbis sed nutibus exprimatur, est virtualiter verbum; quorum omnium ratio est: quia illud dicitur in Sacramentis habere rationem rei sensibilis, quod est indifferens & determinabile, illud verò habet rationem verbi, quod est determinativum; traditio autem in matrimonio est determinabilis per acceptationem alterius conjugis, acceptatio autem est determinativa traditionis.

Obj. 2. Ut ex materia & forma fiat compositum, debent esse simul: quia debent esse unita; atqui res & verbum in Sacramentis non sunt semper simul: quippe absolutionem in Sacramento pœnitentiæ præcedit tempore confessio pœnitentis, & acceptatio in Sacramento matrimonii sæpe sequitur traditionem ex parte alterius.

R. Distinguendo Maj. Debent esse simul similitate vel physicâ vel morali Con. similitate semper physicâ N. sicut Sacramenta sunt composita moralia

De
talia, in
tes, tu
talis pa
nem pa
ordinat
teriam
endum
rum ali
quiratu
tia mat
Euchar
realem
um mi
matric
quia S
dicit,
tinuat
que li
de ali
confe
timè
men
cio,
præc
matr
vilis
litter
U
& f
crat
ner
quo
cauf
fi h
con

alia, ita etiam requirunt partes moraliter coexistentes, tunc autem est compositio & coexistentia moralis partium, quando juxta prudentium æstimationem partes sufficienter consentur ad se relatæ & coordinatæ, ac forma sufficienter cadere super materiam in ordine ad unum signum gratiæ constituendum; quo fit, ut pro diversitate Sacramentorum aliquando minor aliquando major similtas requiratur; sic omnium maxima & physica coexistentia materiæ & formæ requiritur in consecratione Eucharistiæ: quia ibi forma verborum significat realem & physicam transubstantiationem; omnium minima coexistentia requiritur in Sacramentis matrimonii & pœnitentiæ: in pœnitentiâ quidem: quia Sacramentum pœnitentiæ habet rationem judicii, sententia autem Judicis non necessariò continuatur cum accusatione vel confessione rei; ideoque licet pœnitens factâ confessione consilii causâ de aliis rebus cum Confessario ante absolutionem conferat, vel confessionem dimidiet, adhuc legitime confertur absolutio, fitque integrum Sacramentum pœnitentiæ, dummodo prudentium iudicio, censeatur absolutio sufficienter connecti cum præcedenti accusatione; idem est de Sacramento matrimonii, quod sequitur naturam contractûs civilis, ideoque etiam fieri potest inter absentes per litteras vel procuratorem.

Unde infertur res & verba tanquam materiam & formam esse partes essentielles & intrinsecas Sacramentorum novæ Legis: quia omne illud pertinet ad intrinsecam constitutionem Sacramenti, quod est à Christo assumptum ad significandam & causandam gratiam; sive quod ex institutione Christi habet vim practicè significandi gratiam; sed hoc competit rebus sensibilibus & verbis simul: quia

secundum

secundùm concilia omnia Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus & verbis tanquam materia & forma; sed quidquid in Sacramento se habet tanquam materia & forma, habet ex institutione Christi vim practicè significandi gratiam: quia res per verba determinantur ad certam & specialem gratiæ significationem. Unde illud vulgatum S. Aug. accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum; ergo tam res quam verba, per modum totius & unius compositi, sunt à Christo assumpta ad significandam gratiam.

Observandum tamen est: quòd in omnibus Sacramentis novæ Legis à Theologis distinguatur duplex materia: alia dicitur remota alia dicitur proxima: **Materia remota** est res aliqua, in quâ & circâ quam exercetur Actio Sacramentalis. **Materia autem proxima** est in Sacramentis, quæ in usu consistunt, ipsa actio exercita in vel circâ materiam remotam: ut in Baptismo remota materia est Aqua; proxima Ablutio Aquæ; in confirmatione materia remota est sacrum Chrisma proxima Unctio in fronte. in Sacramento Eucharistiæ materia remota est Panis & Vinum, proxima species Panis & Vini; in Pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, Actus autem pœnitentis nempe Contritio & Confessio, quæ circâ peccata versantur, sunt materia proxima; in Ordine Sacerdotii materia remota est Calix cum vino, & Patena cum Hostia, proxima eorundem traditio; in extremâ Unctione Oleum consecratum est materia remota, Unctio infirmi in sensuum organis proxima; denique in Matrimonio corpora Sponsi & Sponsæ sunt materia remota, mutuus consensus quatenus est mutua traditio corporum ad usum Matrimonii est proxima. **Materia autem remota non est**

est pa
illa no
lis, c
Sacra
mater
exere
teria
ria, c
tum E
Pœni
D
minat
hoc v
ad r.
Pr
sint f
ex fu
grati
rebu
grati
verb
com
maj
qua
inst
testa
Rep
fun
con
Ch
alic
me
tem
Co
tia

est pars intrinsecè componens Sacramentum; quia illa non est proximè receptiva formæ sacramentalis, quæ determinat materiam ad significationem Sacramentalem, sed est tantummodò objectum & materia, in quâ actio sacramentaliter significativa exercetur, ideoque non est propriè & absolutè materia, sed cum addito: Materia remota vel materia, circâ quam; aliàs Panis & Vinum Sacramentum Eucharistiæ, peccata confitentis Sacramentum Pœnitentiæ intrinsecè constituerent.

DICO 2. *Debet esse Divinâ institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo Sacramento.* S. Th. hic Q. 60. a. 5. ad 1.

Probatur: Cùm res & verba in Sacramentis sint signa spiritualis gratiæ ad placitum, quæ non ex suâ naturâ, sed ex arbitrio instituentis, possunt gratiam significare, necesse est, ex innumeris rebus & verbis aliqua eligi & determinari, quæ gratiam spiritualem præ aliis significant, cumque verba se teneant ex parte formæ, quæ in omni composito est principium determinationis, ideo major requiritur determinatio ex parte verborum, quam ex parte rei sensibilis, jam verò illius erat instituire hæc signa præctica gratiæ, in cuius potestate erat gratiam conferre, & qui in spirituali Republicâ Principatum tenebat, qui Ecclesiam fundabat &c. atqui hæc omnia soli Deo & Christo conveniunt; ergo res & verba sunt à solo Deo & Christo determinata in omnibus Sacramentis, in aliquibus quidem magis genericè: ut in Sacramento Ordinis & Matrimonii, in aliquibus autem specificè magis ut in Sacramento Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ &c. ideoque materia & forma usitata in Ecclesia Græca in Ordinatione

nat one Sacerdotum, non est diversa formaliter à materia & forma usitata in Ecclesia Latina, sed tantum materialiter; eò quod materia & forma Sacramenti Ordinis, quatenus à Christo est assumpta ad rationem Sacramenti, non sit hæc specie & numero actio & hæc numero verba, sed quatenus in genere exprimentia potestatem Ordinis & traditionem Officii sacerdotalis.

Ex dictis sequitur: Materiam & formam Sacramentorum ita immutabiliter esse determinatam, ut nec Apostolis nec Ecclesiæ aut Vicariis Christi competat facultas hæc signa mutandi, quemadmodum non convenit illis Authoritas ejusmodi signa instituendi, unde & Apostoli non nisi ministri & Dispensatores Mysteriorum Dei appellantur 1. Cor. 4. v. 1. & Con. Trid. Sess. 21. cap. 2. de commun. Præterea declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salvâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, qua suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicaret. Unde agnoscit Sacramenta novæ Legis, adeoque eorundem materiam & formam ita esse à Christo determinatas & institutas, ut Ecclesiæ potestas non ad illas, sed ad dispensationem solummodo se extendat.

Obj. Ante Concil. Trid. contractus Matrimonii clandestinus, vel absque testibus inter conjuges privatim initus, erat materia Sacramenti; atqui post Trid. desiit esse materia Sacramenti, & requiritur ad Sacramentum Matrimonii contractus initus coram Parocho & duobus testibus; ergò Ecclesia mutavit materiam Sacramenti.

R. Distinguendo min. Contractus clandestinus

nus
ut m
elle c
ti Ma
legit
que
cont
Mat
Sacr
quid
dina
trah
dos
quor
mor
lum
num
pos
non
ctus
erg
Ma
fiat
tiz
cer
Ec
fac
vis
eta
me
me
no
in
hi

nus Matrimonii desit esse materia Sacramenti, ita
 ut manserit contractus legitimus N. ita ut desierit
 esse contractus legitimus Con. Materia Sacramen-
 ti Matrimonii à Christo determinata est contractus
 legitimus inter Virum & foeminam initus, adeo-
 que Ecclesia facere nequit, ut aliquid manens
 contractus legitimus, non sit materia Sacramenti
 Matrimonii, aliàs mutaret formaliter materiam
 Sacramenti; Ecclesia tamen facere potest, ut ali-
 quid non sit legitimus contractus, quod ante or-
 dinationem Ecclesiae talis erat: cum Superior con-
 trahentium contractus à subditis initos vel ineun-
 dos infirmare possit; ex quo tamen non sequitur:
 quod Ecclesia tunc formaliter Sacramenti Matri-
 monii materiam mutet; sicut non sequitur: pos-
 sum mutare vinum in acetum, & sic facere, ut vi-
 num non sit amplius materia consecrabilis; ergo
 possum mutare materiam Sacramenti Eucharistiae; ita
 non sequitur: Ecclesia potest facere, ut contra-
 ctus contrahentium clandestinus non sit legitimus;
 ergo potest facere aliam materiam Sacramenti
 Matrimonii; eodem modo non sequitur: Eccle-
 siam posse mutare materiam Sacramenti Pœnitenti-
 tiae, eò quod auferre possit Jurisdictionem à Sa-
 cerdote, quâ ablatâ confessio est nulla; siquidem
 Ecclesia non potest efficere, ut confessio legitimè
 facta à subdito non sit materia absolutionis, quam-
 vis efficere possit, ut confessio non sit legitimè fa-
 cta; quod non magis est mutare materiam Sacra-
 menti Pœnitentiæ, quàm mutare materiam Sacra-
 menti Eucharistiae mutando vinum in acetum.

DICO 3. *Res sensibiles ... ad sanctificationem
 non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter
 inditâ, sed solum ex institutione Divinâ.* S. Th.
 hic Q. 60. a. 5. ad 2. sive non fit Sacramentum,

si quis utatur materia substantialiter diversâ ab ea, quam Christus instituit.

Conclusio constat ex dictis: quia materia Sacramentorum est determinata; ergo si alia assumatur, nullum conficitur Sacramentum; sed quia in Sacramentis aliqua reperiuntur, quæ tantum ad integritatem & perfectionem accidentalem Sacramenti pertinent, hinc ut sciatur, quando sit accidentalis, quando verò substantialis mutatio materiæ, servanda est hæc Regula: tunc est mutatio substantialis ex parte materiæ, quando res vel materia accepta juxtâ moralem ætimationem usumque humanum, est alterius nominis & rationis, quàm illa, quæ est à Christo instituta: sub illâ ratione, sub qua à Christo instituta est, sic in Baptismo instituta est aqua naturalis sub ratione aquæ, non verò sub ratione calidæ vel frigidæ, marinæ vel fluvialis, benedictæ vel non benedictæ, in Eucharistia panis triticeus & vinum vitigineum non sub ratione azymi vel fermentati, albi vel rubri: sed præcisè sub ratione panis usualis & vini, alia ab hac ad rationem Sacramenti non sufficit, diciturque illa mutatio substantialis: ratio est: quia tunc est substantialis mutatio ex parte materiæ, quando accipitur materia non determinata à Christo nec elevata ad significationem gratiæ; atqui quando accipitur materia, quæ juxtâ moralem ætimationem usumque humanum (qui maximè ex perpetuâ traditione & consuetudine Ecclesiæ æstimari debet) est alterius rationis sive in esse Physico differat, sive non, quàm illa, quæ est à Christo instituta, jam non accipitur materia à Christo determinata & elevata ad esse significativum gratiæ: cum enim Sacramenta sint signa moralia ad usum humanum deputata, eorum diversitas tam

à dif-

à diffe
rali di
accipi
Ex
non d
dum p
nis; c
nem n
stioni.
differa
secreab
vint.
accide
anteq
& rat
nem e
Q
-Bz.
norab
form
est:
Eccl
viter
men
ergo
D
lis:q
cum
mon
adhi
vel p
cat
mut
præ
do

à differentiis specificis in esse Physico, quàm morali discrimine in usu & æstimatione hominum, est accipienda.

Ex quibus sequitur 1. Quamvis panis coctus non differat forsan specie à massa farinacea nondum pistâ, illa tamen non est materia consecrationis; quia secundùm moralem usum & æstimationem non habetur pro pane, nec est idonea comestioni. 2. Vinum album & rubrum, licet forsan differant specie, utrumque tamen est materia consecrabilis: quia ad eundem usum humanum deservunt. 3. Glacies non differt ab aqua specie sed accidentaliter, & tamen non est materia Baptismi, antequam dissolvatur: quia est alterius nominis & rationis neque secundùm moralem æstimationem deservit ad eundem usum ablutionis.

Q. Quomodo peccetur in mutatione materiæ?

R. Esse peccatum mortale, quotiescunque fit notabilis mutatio materiæ (idem est de mutatione formæ, sive sit essentialis, sive sit accidentalis; *Ratio est:* quia institutio Christi & universis consuetudo Ecclesiæ habens vim legis in materia notabili graviter obligant, sed reverenter administrare Sacramenta, est materia gravis & magni momenti; ergo.

Dixi sive fiat mutatio essentialis sive accidentalis: quia etiam partes tantum accidentaliter connexæ cum materia & forma Sacramenti, imò & Cæremoniæ vel ritus in administratione Sacramentorum adhiberi soliti sunt sub gravi præcepto, unde, nisi vel parvitas materiæ vel inadvertentia excuset, peccat Minister Sacramenti omittendo vel notabiliter mutando ritus in Sacramentorum administratione præscriptos graviter; longè tamen gravius mutando materiam essentialiter, ubi, præter grave sa-

crilegium contra reverentiam Sacramenti, plerumque peccatur contra charitatem proximi, vel etiam contra justitiam: quod extenditur ad materiam dubiam sine necessitate adhibitam.

Q U Æ S T I O III.

An & qua verba requirantur pro forma, & qua mutatio irrites?

DICO 1. *In Sacramentis . . . requiritur determinata forma verborum.* S. Th. hic Q. 60. a. 7. O.

Conclusio patet tum ex dictis priore Quæstione tum inductione: quia in Baptismo sunt verba invocatoria Ss. Trinitatis; in confirmatione etiam sunt certa verba, in Sacramento Eucharistiæ est formula consecrationis, cum nec Christi sub speciebus continentia, nec ejusdem ad animam spiritualiter nutriendam efficacia possit, vel per species sacramentales, vel per ipsummet sub speciebus contentum Christum, sed per verba realis sub illis speciebus Christi præsentia demonstrativa sensibiliter esse significata. In Sacramento Pœnitentiæ est forma absolutionis. In Ordine certa verba ordinantis. In extrema Unctione orationes. In Matrimonio verba significantia acceptationem; hæc tamen verba non necessariò sunt formalia, sed sufficiunt virtualia in unico tamen Sacramento Matrimonii, in quo nutus, ut significant acceptationem, sunt verba virtualiter & forma Sacramenti Matrimonii.

DICO 2. *Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: & ideo non perficitur Sacramentum.* S. Th. hic Q. 60. a. 8. O.

Expli-

Explicatur & probatur Conclusio : Cum substantia formæ consistat in sensu verborum : quia verba sub tali determinato sensu sunt instituta à Christo , & elevata ad rationem Sacramenti , hinc mutato sensu verborum forma mutatur essentialiter , & consequenter nullum conficitur Sacramentum.

Ex quibus sequitur 1. Variatio idiomatis non mutat formam essentialiter , sed tantum accidentaliter : cum semper maneat substantialis sensus verborum ; unde valida semper erit forma sive latinè sive græcè sive germanicè proferatur , attamen si pauci aliqui confingerent sibi verba , quibus colloquerentur inter se , non posset per ejusmodi signa privata fieri Sacramentum ; quia Christus Sacramenta tanquam signa publica non in privato sed in idiomate communi perficienda instituit.

2. Mutatio formæ in verba omnia synonyma , quæ idem eodem modo significant , est tantum accidentaliter : ut si in forma Baptismi pro *Baptizo* diceretur : *Abluo*. Si tamen idem eodem modo non significaretur : hoc est : non æquè distinctè & expressè ; foret mutatio substantialis : ut si diceretur : *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis* : quia tres Personæ non explicitè invocarentur , sicut invocantur in forma à Christo institutâ.

3. Mutatio formæ per additionem tunc vitiat formam essentialiter , quando verba addita destruunt Legitimum & Catholicum sensum , ut si diceretur cum Arriano : *Ego te baptizo in nomine Patris majoris , Filii minoris &c.* si illum sensum addita verba non destruunt , est mutatio accidentaliter , ut si diceretur in Consecratione cum Græcis : *Hoc est corpus meum , quod pro vobis tradetur* , idem est , si quid adderetur , quod nec formam afficeret , nec sensum ejus variaret , sive verum

sive falsum sit, nisi adderetur tanquam pars formæ.

4. Mutatio formæ per detractionem tunc est substantialis, quando vox omissa in forma est essentialis ad exprimendum sensum à Christo intentum; ut si in forma Baptismi omittatur: *TE* vel expressio alicujus personæ *Ss. Trinitatis*, In forma Consecrationis particula *Hoc*, vel *Hic*; e contra ommissio pronominis *Ego* in Baptismo particula *Enim* in formâ Consecrationis faciunt mutationem accidentalem. Ubi tamen attendenda est proprietas idiomatis, in quo forma profertur, in aliquo enim particula quædam omissæ sensum mutant, quæ in alio idiomate sensum non mutant.

5. Mutatio per transpositionem vocum tunc est essentialis, si sit tanta, ut evertatur sensus, si autem sensus maneat, est solum accidentalis; v.g. hæc transpositio in Baptismo: In nomine Patris & Filii &c. *Ego te baptizo* & in consecratione: *Hoc corpus meum est*, est accidentalis, hæc vero: *Ego Patris te baptizo* in nomine Filii & Spiritûs sancti, & *meum est hoc corpus*, videtur esse essentialis.

6. Mutatio per interruptionem syllabarum in unâ voce vel verborum in oratione est essentialis, si illa interruptio sit tanta, ut in prudenti æstimatione non censeatur una vox vel unus tractus orationis; hinc facilius est mutatio essentialis per interruptionem syllabarum in unâ voce, quàm per interruptionem verborum in unâ oratione.

7. Mutatio per corruptionem vocum non est essentialis, nisi sensus verborum intentus sit destructus quare in cap. retulerunt 86. de Consecr. dist. IV. valida reputatur forma Baptismi, quam Sacerdos ignarus linguæ latinæ adhibuit: *Ego te baptizo*

baptizo
Zacharia
qui bapti
sim, sed
gendo lin
dixisset,
zentur.

Non o
acceptio
Christum
stantiis,
audienti
rent, in
volens ta
di illud
conficere

Quoc
ducendi
eo, qui
velit fa
destrua
potest
tentior

Non
hoc ex
quod f
crame
lius in
dubita

8.

in fol
quia,
requir
bus au
quia j
requir

baptizo in nomine Patria & Filia &c. in quo can. Zacharias P. Bonifacio Episcopo rescribit: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducere aut hæresim, sed pro sola ignorantia romana locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuò baptizentur.*

Non obstat: Quòd similia verba in communi acceptione non significant illud, quod verba per Christum instituta; sufficit enim, quod in circumstantiis, in quibus proferuntur, eundem in animis audientium ex intentione proferentis sensum generent, imò si studiosè contumperet verba proferens, volens tamen idem significare & in modo proferendi illud audientibus significans validum videtur conficere Sacramentum.

Quod additur in cit. Can. de Intentione introducendi errorem aut hæresim, exponi debet de eo, qui istam intentionem ità exprimit, ut alium velit facere sensum, qui verum Ecclesiæ sensum destruat, aliàs si sola adsit prava intentio, hæc potest consistere cum debita materia, forma & intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Non obest: quod dicit S. Th. hìc a. 7. ad 3. *Si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia, & ità non videtur perfici Sacramentum.* Vult enim S. D. insinuare, quòd illius intentio sit suspecta, ideoque meritò possit dubitari, an veram intentionem habuerit.

8. Mutatio quæ fit, dum verba mutantur in signa in solo Sacramento Matrimonii, est accidentalis: quia, cum illud sequatur naturam contractûs, non requirit certam verborum expressionem; in omnibus autem aliis Sacramentis est mutatio essentialis: quia juxtà Concilia & doctrinam Ecclesiæ in illis requiruntur formalia verba. P 3 QUÆ-

QUESTIO IV.

De Subjecto Sacramentorum, de Intentione suscipientis, & materiâ dubiâ.

DICO I. *Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem*. S. Th. hic Q. 60. a. 6. O. sive solus homo viator est subjectum Sacramentorum, baptizatus omnium aliorum, usu rationis praeditus trium Sacramentorum: Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, & Matrimonii.

Prima Pars probatur: Sacramenta non sunt instituta pro aliis creaturis non intellectualibus: quia non sunt capaces effectus Sacramentorum videlicet Gratiæ sanctificantis; nec pro Angelis: quia illi nullam possunt recipere actionem sensibilem, qualis est Actio Sacramentalis; ergo sunt instituta pro solis hominibus, non damnatis nec beatis; ergo viatoribus, qui soli sunt Baptismi capaces: quia per Baptismum confertur Gratia redemptiva, aut de se liberativa à peccato originali, cui solus homo est obnoxius, & à quo non nisi in statu viæ liberari potest.

Secunda Pars probatur: Baptismus est Janua omnium aliorum Sacramentorum, Baptismus imprimat characterem, per quem habilitatur homo ad cætera Sacramenta suscipienda; ergo solus baptizatus est capax cæterorum Sacramentorum.

Tertia Pars probatur: Quia hæc tria Sacramenta supponunt recipientem esse doli & peccati & contractus capacem; horum autem est solus adultus capax, cætera verò Sacramenta ut Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Ordo validè ab infante recipi possunt: quia ista Sacramenta non nisi in adultis, actus dispositivos liberi arbitrii postulant, de quo alibi.

DICO

DICO

Sacram

68. a. 7

nem Sa

suscipie

virtuali

Pro

intenti

sit A&B

luntatis

quæ et

ampliu

qua vir

effectu

alicuju

exteric

fidens

mover

efficac

intenti

retra

per r

istat

P

aliqu

valor

trem

fariu

recip

Eccl

ad v

mitt

cessu

præ

ex R

DICO 2. Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus. S Th. hic Q 68. a. 7. ad 2. sive in adultis ad validam susceptionem Sacramenti requiritur positiva aliqua intentio suscipiendi Sacramentum, non quidem actualis vel virtualis, sed sufficit habitualis.

Pro intelligentia Conclusionis observandum: Quod intentio vel voluntas suscipiendi Sacramentum alia sit *Actualis* sive *Formalis*, quæ est ipse actus voluntatis in se formaliter existens, alia *Virtualis*, quæ est actus voluntatis præteritus, non quidem amplius in se formaliter existens, attamen in aliqua virtute vel impressione relictâ præsens, & in effectum influens: solet enim ex efficaci intentione alicujus operis tum intellectus, & Phantasia, tum exterior potentia executiva in membris corporis residens, recipere quandam impressionem, vi cujus movetur homo ad opus peragendum, quod antea efficaciter voluerat & intenderat. Alia denique intentio *Habitualis*, quæ est actus voluntatis non retractatus, & in hoc distinguitur à priori, quod per nullam Virtutem & effectum relictum actu existat, & influat in opus.

Prima Pars Conclusionis probatur: Si positiva aliqua intentio non foret necessaria in recipiente ad valorem Sacramenti, tunc Ecclesia saltem in extrema necessitate permetteret Sacramentum necessarium necessitate mediæ absque tali intentione in recipiente administrari: quippe in casu necessitatis Ecclesia est contenta iis, quæ probabiliter sufficiunt ad valorem Sacramenti; atqui Ecclesia non permittit administrari Sacramentum necessarium necessitate mediæ, etiam in extrema necessitate, sine prævia aliqua voluntate illud recipiendi: ut patet ex Rituali Romano edito à Paulo V. quod in Ru-

brica de Baptismo adultorum, prohibet baptizari eum, qui, cum aliquando habuerit usum rationis, priusquam in amentiam inciderit, nullam tunc ostendit voluntatem recipiendi Baptismum; ratio autem quare id non permittitur, est: quia Sacramenta sunt instituta ad sanctificandos homines, ideo congruum est, ut nullus adultus sanctificetur, nisi consentiat in suam sanctificationem, item aliqua Sacramenta, ut Baptismus, Ordo, inducunt gravem obligationem, non videtur autem conveniens, ut aliquis talem gravem obligationem suscipiat absque suo consensu.

Obj. 1. In Can. de Judæis 5. Dist. XLV. prohibetur quidem, ne Judæi ad Baptismum cogantur, qui tamen jam coacti fuerunt ad illum, astringuntur ad servandam legem Christianam; ergo validè sunt baptizati absque suo consensu. *Adde S. Aug. Tract. 26. in Joan. dicit. Accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens.*

¶ Can. cit. loqui de Judæis, qui ex metu Baptismum susceperunt; metus autem non tollit voluntarium, & consensum, ideoque omnia Sacramenta excepto Matrimonio cum consensu per merum extorto suscepta valent. S. Aug. loquitur de Sacramento Eucharistiæ, quod, quia consistit in re permanente, potest realiter suscipi, etiam à renitente; talis tamen susceptio non est formaliter sacramentalis, nisi adsit consensus, & hinc effectum denegat ei, qui sine vera fide cum cæteris requisitis hoc Sacramentum recipit.

Obj. 2. In cap. majores 3. de Bapt. lib. 3. tit. 42. dicitur: *Tunc characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obliſtentem*; ergo sufficit ad susceptionem Sacramenti non habere voluntatem contrariam, licet

D
licet non
cramen
¶. S
Pontifex
contraria
fitum sul
lustrat
Obj.
menta t
tione M
cipientis
tione sul
¶. C
Sacrame
adultis
tanquam
ministri
Obj.
trema U
& usu r
runt; a
patet
crame
positiv
¶.
subitò
buisse
quam
Christ
culo o
fia in
genera
mori.
Ob
propri

licet non habeatur positiva voluntas suscipiendi Sacramentum.

℞. Si legatur totum Capitulum, patet: quòd Pontifex loquatur de illo, qui de facto non habeat contrariam voluntatem, ante tamen habuit propositum suscipiendi Baptismum per contrariam voluntatem non retractatum.

Obj. 3. In Conc. Florent. est definitum: Sacramenta tribus perfici: Materiâ, Formâ & Intentione Ministri; ergo nulla requiritur intentio suscipientis: quia hæc tria esse possunt absque intentione suscipientis.

℞. Con. Illa solùm enumerare, quæ ad omne Sacramentum requiruntur, sive illud parvulis sive adultis ministretur: videlicet materia & forma tanquam partes essentielles, & intentio ex parte ministri velut causæ efficientis Sacramentum.

Obj. 4. Juxtâ communem praxin Ecclesiæ, extrema Unctio confertur moribundis subito sensu & usu rationis destitutis, licet ante non postulaverint; atqui illi non habent voluntatem actualem, ut patet: neque habitualem: cùm ante de hoc Sacramento non cogitaverint; ergo non requiritur positiva voluntas suscipiendi Sacramentum.

℞. Ecclesiam in hoc articulo præsumere, tales subito & improvise sensibus destitutos, ante habuisse saltem implicite & confuse voluntatem aliquam hoc Sacramentum suscipiendi: omnis enim Christianus salutis suæ memor vult in extremo articulo omnia Sacramenta necessaria, & quæ Ecclesia in tali necessitate conferre solet, suscipere per generalem voluntatem, quod velit ut Christianus mori.

Obj. 5. Peccatum originale contrahitur absque proprio consensu; ergo etiam potest remitti absque

que consensu positivo per Sacramentum Baptismi.

R. Sequelam tenere in infantibus & aliis, qui consensus nunquam fuerunt capaces; non autem in adultis, qui possunt consentire; quia non est æquum, ut hi sanctificentur & obligationem Baptismo annexam suscipiant absque proprio consensu.

Obj. 6. Qui Sacramentum recipit, habet se, ut patiens; sed intentio non requiritur ex parte patientis, sed agentis.

R. Distinguendo maj. Sacramentum recipiens habet se ut patiens voluntariè, ita ut velit hoc recipere, quod recipiendo patitur Con. ut patiens non voluntariè sive coactè N. est igitur hæc passio non coacta, sed voluntaria, ideoque etiam ad illam requiritur intentio patientis.

Secunda Pars probatur: Ex praxi Ecclesiæ baptizantis moribundum sensibus destitutum, modò constat de præterita ejus voluntate, imò in Sacramento extremæ Uctionis moribundo usu rationis privato conferendo, Ecclesia non erigit testimonium voluntatis præteritæ, sed est contenta solâ voluntate interpretativâ in hoc consistente, quòd omnis fidelis ita censeatur dispositus esse, ut in articulo mortis vellet hoc Sacramentum suscipere, si posset mentem suam aperire. Ratio autem disparitatis inter ministrum, in quo requiritur intentio virtualis ad minus, & suscipientem, in quo sufficit intentio habitualis, hæc est: quòd intentio ministri se habeat per modum activè influentis & activè determinantis ad conferendum Sacramentum, pro quo non sufficit intentio habitualis, sed requiritur, quòd ad minus actualis saltem in aliqua sua virtute perseveret; intentio verò suscipientis Sacramentum tantum passivè concurrit, quia sub-

Di
subject
nem Sa
quod m
recipier
quæ ha
nentiam
Porrò
menta P
pœniter
crament
luntas l
quòd po
tum po
consens
mant.

Pro r

Nota

certum
valore
quod f
dubita
Dicitu
verosi
verba
inde a
non ef
quòd
non si
quand
non r
te Sac
quòd a
beatur
tis; &
licet v

subjectum solum disponit & habilitat ad receptionem Sacramenti, ad hoc autem ut subjectum aliquod moraliter habilitetur ad quempiam effectum recipiendum, sufficit passiva illius determinatio, quæ haberi potest per habitualem duntaxat permanentiam actûs præteriti.

Porro ab hac communi Regula excipiuntur Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii: cum enim actus pœnitentis & contrahentis sint materia horum Sacramentorum, non sufficit, quod præcesserit voluntas hæc Sacramenta recipiendi, sed oportet, quod pœnitens actu doleat & confiteatur, quantum potest, & quod contrahentes matrimonium consensum verbis vel aliis signis exterius expriment.

Pro resolvendo tertio quæsito

Nota: Materia vel forma dicitur certa, quando certum est, quod sit materia & forma sufficiens ad valorem Sacramenti ea videlicet, de qua constat, quod sit à Christo instituta, dicitur dubia, quando dubitatur: an sit ad valorem Sacramenti sufficiens. Dicitur probabilis, quando quidem probabile imò verosimilius est, quod illa res sit materia, vel illa verba sint forma alicujus Sacramenti, & proinde ad valorem Sacramenti sufficiens, id tamen non est certum; quia reverà à parte rei potest esse, quod hæc materia vel forma, quæ adhibetur, non sit sufficiens. Dicitur materia & forma tutior, quando quidem probabile imò verius est, quod non requiratur talis materia vel forma de necessitate Sacramenti, si tamen adhibeatur, certum est, quod Sacramentum sit validum, si verò non adhibeatur, exponitur Sacramentum periculo nullitatis; & hæc in præsentī vocatur opinio minus tuta, licet videatur verior, & opinio circa materiam & formam

formam Sacramentorum, quæ non exponit Sacramentum periculo nullitatis, dicitur opinio tutior, licet appareat minus vera; v. g. in Quæstione an valeat Baptismus collatus in lixivio, opinio, quæ asserit illum valere, est opinio minus tuta: quia non est certum, quòd aqua Lixivii sit materia sufficiens ad Sacramenta Baptismi, ideoque adhibendo talem materiam exponitur Sacramentum periculo nullitatis; e contra opinio, quæ dicit illum Baptismus non valere, est opinio tutior; quia inde sequitur: quòd non debeat in ista materia fieri Baptismus, extra casum necessitatis, quâ ratione Sacramentum certò erit validum.

His præmissis: quia ab Innoc. XI. An. 1679-2. Martii est damnata hæc Propositio inter damnatas 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, Conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententiã probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.* Ideò, ut sciatur, quid circa materiam vel formam dubiam aut probabilem post hanc propositionem damnatam liceat.

DICO 3. *Non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum.* S. Th. hic Q. 60. a. 5. O. five semper extra casum necessitatis assumenda est in Sacramentis materia tutior, in casu verò necessitatis assumi debet ea, quæ haberi potest, modò saltem sub dubio in aliqua probabilitate fundato sit materia à Christo instituta.

Ratio prima Partis est: quia est contra reverentiam Sacramenti & Dei, qui est Author Sacramentorum, applicare sub forma ordinata ad Sacramentum

De
num tale
ea, qua
Deinde
sibi talit
effectu n
Ratio
ad homi
tem sub
necessita
crament
Infer
Ordinis
damater
Sacrame
magna i
animaru
næ dam
Sacrame
zatus fu
est peri
lutioni
tus; i
tatis O
furda,
te nece
nus tut
& inf
moribi
præsto
zari in
hæc eff
æterna
Sacram
est reve
margi

num talem rem, de qua non fumus certi, quod sit ea, quam Christus voluit sub tali forma adhiberi. Deinde est contra Jus proximi, quod habet, ut sibi taliter ministrentur Sacramenta, ut de eorum effectu moraliter certus esse possit.

Ratio secunde Partis est: quia Sacramenta sunt ad hominum utilitatem instituta; ergo quando saltem sub dubio per Sacramentum validum hominis necessitati succurri potest, est materia & forma Sacramenti adhibenda. Ex quibus

Infertur I. Quod in Sacramentis Baptismi & Ordinis extra casum necessitatis semper sit adhibenda materia & forma tutior: *Ratio est:* quia si in his Sacramentis eligatur materia vel forma minus tuta, magna incommoda sequuntur in perniciem salutis animarum; in Baptismo quidem periculum æternæ damnationis in baptizato, nullitatis omnium Sacramentorum, quæ taliter invalidè forsan baptizatus suscipiat &c. In Ordine autem Sacerdotali est periculum nullitatis consecrationis, & Absolutionis sacramentalis, si eam exerceat sic ordinatus; in Ordine autem Episcopali periculum nullitatis Ordinum, quos confert & innumera alia absurda. *Dixi* extrâ casum necessitatis: quia urgente necessitate in Baptismo non tantum materia minus tuta, sed etiam dubia (non tamen certò nulla & insufficientis) adhiberi potest v. g. si infans est moribundus, & non invenitur aqua naturalis, præsto est tamen aqua rosacea, debet infans baptizari in aqua rosacea sub conditione, ut si forsan hæc esset materia sufficiens, posset infans consequi æternam salutem, non obstante periculo nullitatis Sacramenti; quia salus æterna proximi præferenda est reverentiæ Sacramenti, quod ad salutem animarum est institutum; imò nulla irreverentia exhibetur

betur Sacramento: cum ipsa necessitas irreverentiam tollat, nec tunc eligitur opinio minus tuta, relictâ tutiore: quia cum in illo casu urgentis necessitatis sit impossibile eligere partem tutiorem, quæ est de Baptismo cum aquâ certò naturali, tutior non relinquatur.

Infertur 2. Quod etiam, qui in aliis Sacramentis extra casum necessitatis adhibet materiam vel formam minus tutam, relictâ tutiore, peccet mortaliter contra reverentiam Sacramento debitam. *Ratio est:* quia conficere Sacramentum irritum est peccatum mortale contra reverentiam Sacramenti; ergo etiam se exponere periculo conficiendi Sacramentum irritum est peccatum mortale contra eandem reverentiam Sacramento debitam: quia in moralibus perinde est aliquid facere, vel se exponere periculo faciendi; atqui, qui in quocunque Sacramento adhibet materiam vel formam minus tutam relictâ tutiore, exponit Sacramentum periculo nullitatis; si enim materia vel forma, quæ adhibetur, revera non sit à Christo instituta, uti esse potest, Sacramentum erit nullum.

Dices 1. In moralibus licitum est sequi opinionem ad minus illam, quæ omnibus ponderatis judicatur esse verior; atqui qui applicat in Sacramentis materiam & formam, quam judicat probabilius esse validam & sufficientem, licet hoc non sit certum, sequitur opinionem, quam omnibus ponderatis judicat esse veriolem; ergo licitè agit.

R. N. Min. Quia opinio, quæ dicit in Sacramentis adhiberi posse materiam vel formam, quæ judicetur probabilius esse valida, dum certò valida haberi potest, non est opinio verior, sed certò falsa, in propositione supra relatâ *ob Innoc. XI.*
damna-

De
damnata
liceat, c
catur, i
cer: qui
babilius
lida esse
tudo; S
quæ pro
Lege sit
cum ope
se posse
Dices
abique p
lorem Sa
tatis Sa
nam Sac
tionem
ne pœni
versatur
materia
si rever
rum er
R.
cognit
disposi
tū niti
fecis, q
tem no
ficit ad
certitū
judicat
Infe
materia
lor Sac
si judic

damnata; quamvis autem in moralibus id facere liceat, quod omnibus ponderatis esse verius judicatur, id tamen in materia Sacramentorum non licet: quia si materia vel forma, quæ judicatur probabilius esse valida, reverà valida non sit, ut invalida esse potest: cùm valoris non habeatur certitudo; Sacramentum est nullum; si autem actio, quæ probabilius judicatur esse licita, ab aliqua Lege sit prohibita, nullum committitur peccatum: cum operans id faciat, quod prudenter judicat, se posse facere.

Dices 2. Aliquando contingit, quòd aliquis absque peccato utatur opinione probabili circa valorem Sacramenti, per quam extrà casum necessitatis Sacramentum exponatur periculo nullitatis: nam Sacerdos absolvit pœnitentem, habens cognitionem duntaxat probabilem de recta dispositione pœnitentis, sive de vero dolore, quæ cognitio versatur circa valorem Sacramenti: cùm sit de materia essentiali pœnitentiæ videlicet dolore, qui si reverà non adsit, uti abesse potest, Sacramentum erit nullum.

R. Quòd impossibile sit Confessarium habere cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione pœnitentis: quia iudicium Confessarii nititur dicto pœnitentis, & aliis signis extrinsecis, quæ sunt probabilia & fallibilia; quando autem non potest haberi materia certa physicè, sufficit adhibere materiam certam moraliter, qualem certitudinem habet Confessarius, dum prudenter judicat, pœnitentem esse ritè dispositum.

Infertur 3. Quando est opinio minus tuta in materia Sacramentorum, à quâ non dependet valor Sacramenti, licitum est illam sequi, ad minus si judicetur esse verior. *Ratio est:* quia ideo non est

est licitum in materia Sacramentorum sequi opinionem minus tutam, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis, cum opinio illa possit esse falsa, & sic potest esse nullum Sacramentum; atqui si opinio non versetur circa valorem Sacramenti, etiamsi sit falsa, Sacramentum tamen est validum; v.g. plures graves AA. iudicant esse verius & conformius Tridentino, nullam extare obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, hæc opinio est circa materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non tamen ab illa valor Sacramenti dependet: quia pœnitens, ut supponitur innocenter omittens confiteri has circumstantias, est alias bene dispositus; ideo qui sequitur hanc opinionem, quam iudicat veriore, non exponit Sacramentum periculo nullitatis: si enim hæc opinio sit falsa, ut illam falsam esse & contrariam Trid. multi graves DD. existimant, Sacramentum Pœnitentiæ adhuc erit validum: quia pœnitens contritus peccata sua proprio Confessario confessus est taliter, qualiter iudicabat se obligatum esse.

DISPUTATIO XV.

De Effectibus & Necessitate Sacramentorum.

Certum est: Sacramenta non fuisse absolutè necessaria ad hominum salutem; Deus enim pluribus aliis modis potuisset hominem absolutè salvare, ipsum conservando in iustitia originali, addendo auxilia actualia, quibus moveretur ad perfectam pœnitentiam & contritionem post lapsum, vel etiam absque prævia dispositione lapsi, infundendo se solo gratiam sanctificantem; solum igitur

D
igitur
ob con
tius pe
supern
ritus se
gione,
bus stat
tio, &
torum
Dei
duplex
pe gra
torum,
ti Dis

An,
st

S
in qu
donis
prò d
gis na
ham
quasi
sent:
super
Spei,
ni sta
Moyi
nond
bebat
Pa